



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. a Lucius III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

## N O T A E.

<sup>a</sup> **E**uriensi.) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* quamvis in priore ejus parte, quæ extat *sub tit. de officio Ordinarii, cap. 4.* in eadem collect. ex qua restituo integrum literam hujus textus, legatur *Gen. Episcopo:* in cuius notis Augustinus asserit legendum esse *Genuensi Episcopo;* sed male, cùm obliter inscriptio ipsa ibi, *Episcopo.*

Quare credo retinendam esse inscriptionem *Euriensi*, quæ extat in dicta prima collectione: *Euria enim, aliquando Euroma dicta, est in provincia Nicopolitana Illyrici Orientalis, cuius Episcopus Theodorus subscriptus Concilio Constantinopolitano temporibus Agathonis, & Menze celebrato.*

<sup>b</sup> *Crimine.*) Cuius punitio spectat ad judicium Ecclesiae, juxta tradita in *cap. 2. de officio ordinis.*

## C A P V T VII.

Idem <sup>a</sup> *Gaietan. electo.*

**C**VM P. Manconella presbyter. *Et infra:* Purgatores illius honestatis, & opinio-  
nis esse volumus, quod verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu-  
cunia dejerare. Ut autem idonei appareant, necesse est, ut ejus, quem purgare de-  
bent, vitam & conversationem agnoscant. Deficientem verò in purgatione omni  
officio, & beneficio ecclesiastico privare procores: præcavens, quod si qui purgan-  
do in sua voluerint purgatione assistere, nullam eis malevolentiam, vel indignatio-  
nem ostendas, nec eos impediendas, vel ab aliis, quantum in te est, impediti permittas,

## N O T A E.

<sup>a</sup> **G**aietan.) Ita legitur in prima collectione, *sub tit. de accusationibus, cap. 12.* post Con-

cilium verò Lateran. *part. 50. cap. 14.* legitur *Gaietan.* sed veram ejus inscriptionem dedi in *cap. cum P. de accusat.*

## C A P V T VIII.

<sup>a</sup> *Lucius III.*

**E**X tuarum intelleximus continentia literarum, quod cùm H. presbyterum latorem præsentium, quia infamabatur de homicidio, communicato fratrum consilio in Episcopatu tuo à sacerdotali officio suspendisses, bonæ memorie prædecessoris tui literas tulit in medium, quibus apparuit eum judicio aquæ frigide suam innocentiam purgavisse, & Episcopum eum suis literis absolvisse: & scholaris, & qui homicidium instigante diabolo perpetraverat, immunem seipsum à criminis tactis sacrofanciis Evangelii affirmavit. Quia verò cùm peregrina <sup>b</sup> judicia sa-  
crist canonibus sint inhibenda, purgationem, quam præstiterit, sufficere non puta-  
mus: f. t. per A. f. m. quat. si accusatores minimè idonei inventi fuerint, qui cum  
de homicidio convincere possint, ut cum VII. aut V. manu sui ordinis, sicut expe-  
dire cognoveris, per purgationem canonicam innocentiam suam ostendat, injun-  
gas; quam cùm præstiterit, suspensionem sine mora, & difficultate relaxes, & eum  
testimonii boni adjungi, ab infamia homicidii, nullius cont. vel ap. ob. auctori-  
tate nostra fretus absolvias. Is autem, qui infamatur, scese immunem à crimen ho-  
mocidii præstito juramento firmabit, & purgatores, quod eum credant verum ju-  
rasse, jurare debebunt.

## N O T A E.

<sup>a</sup> **L**ucius III.) Ita etiam legitur in prima col-  
lectione, *sub hoc tit. cap. 5.* post Concilium au-  
tem Lateran. *part. 50. cap. 50.* habetur *Curen Episcopo.*  
Cures enim, seu Curis, est civitas Italiae in provin-

cia Valeria, teste Strabone *lib. 9.* cuius Episcopus Tiberius subscriptus Concilio Romano sub Hilario celebrato, ut refert Carolus à sancto Paulo *lib. 1. geograph. sacr. fol. 57.*

<sup>b</sup> *Judicia.*) Ut probabimus *infra, tit. proximo.*

## C A P V T IX.

Idem. <sup>a</sup> *Winton. Episcopo*

**C**onstitutus in præsencia nostra P. Diaconus de Botha, suâ nobis assertione mon-  
stravit, &c. *Et infra:* Præterea illud nobis non modicam admirationem indu-  
cit, quod purgationem oblatam recipere noluisti, nisi priùs commendas nomina  
singulorum